

AUSONE

COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM (556 vers)

PRAEFATIO

C1 v.1 Vos etiam, quos nulla mihi cognatio junxit,
 2 set fama et carae relligio patriae,
 3 et studium in libris et sedula cura docendi,
 4 commemorabo viros morte obita celebres.
 5 Fors erit, ut nostros manes sic adserat olim,
 6 exemplo cupiet qui pius esse meo.

TIBERIUS VICTOR MINERVIUS ORATOR

C2 v.1 Primus Burdigalae columen dicere, Minervi,
 2 alter rhetoricae Quintiliane togae.
 3 Inlustres quondam quo praeceptore fuerunt
 4 Constantinopolis, Roma, dehinc patria,
 5 non equidem certans cum majestate duarum,
 6 solo set potior nomine, quod patria :
 7 adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum,
 8 non sit Burdigalae dum cathedra inferior.
 9 Mille foro dedit hic juvenes, bis mille senatus
 10 adjecit numero purpureisque togis ;
 11 me quoque : set quoniam multa est praetexta, silebo
 12 teque canam de te, non ab honore meo.
 13 Sive panegyricis placeat contendere libris,
 14 in Panathenaicis tu numerandus eris ;
 15 seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
 16 ancipitem palmam Quintilianus habet.
 17 Dicendi torrens tibi copia, quae tamen aurum,
 18 Non etiam luteam volveret inluviem.
 19 Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
 20 in te sic viguit, cedat ut ipse tibi.
 21 Anne et divini bona naturalia doni
 22 adiciam, memori quam fueris animo,
 23 audita ut vel lecta semel ceu fixa teneres,
 24 auribus et libris esset ut una fides ?
 25 Vidimus et quondam tabulae certamine longo
 26 omnes, qui fuerant, enumerasse bolos,
 27 alternis vicibus quot praecipitante rotatu
 28 fundunt excisi per cava buxa gradus :
 29 narrantem fido per singula puncta recursu,
 30 quae data, per longas quae revocata moras.
 31 Nullo felle tibi mens livida, tum sale multo
 32 lingua dicax blandis et sine lite jocis.
 33 Mensa nitens, quam non censoria regula culpet
 34 nec nolit Frugi Piso vocare suam :
 35 nonnumquam pollens natalibus et dape festa,

36 non tamen augustas ut tenuaret opes.
 37 Quamquam heredis egens, bis sex quinquennia functus,
 38 fletus es a nobis, ut pater et juvenis.
 39 Et nunc, sive aliquid post fata extrema superfit,
 40 vivis adhuc, aevi, quod periit, meminens :
 41 sive nihil superest nec habent longa otia sensus,
 42 tu tibi vixisti : nos tua fama juvat.

LATINUS ALCIMUS ALETHIUS RHETOR

C3 v.1 Nec me nepotes impii silentii
 2 reum ciebut, Alcime,
 3 minusque dignum, non et oblitum ferent
 4 tuae ministrum memoriae,
 5 opponit unum quem viris prioribus
 6 aetas recentis temporis.
 7 Palmae forensis et camenarum decus,
 8 exemplar unum in litteris,
 9 quas aut Athenis docta coluit Graecia,
 10 aut Roma per Latium colit.
 11 Moresne fabor et tenorem regulae
 12 ad usque vitae terminum ?
 13 Quod laude clarus, quod paratus litteris
 14 omnem refugisti ambitum ?
 15 Te nemo gravior vel fuit comis magis
 16 aut liberalis indigis,
 17 danda salute, si forum res posceret ;
 18 studio docendi, si scholam.
 19 Vivent per omnem posterorum memoriam,
 20 quos tu sacrae fama dabas
 21 et Julianum tu magis fama dabis
 22 quam sceptra, quae tenuit brevi.
 23 Sallustio plus conferent libri tui,
 24 quam consulatus addidit.
 25 Morum tuorum, decoris et facundiae
 26 formam dedisti filiis.
 27 Ignosce, nostri laesus obsequio stili :
 28 amoris hoc crimen tui est,
 29 quod digna nequiens promere officium colo,
 30 injuriose sedulus.
 31 Quiesce placidus et caduci corporis
 32 damnum repende gloria.

LUCIOLUS RHETOR

C4 v.1 Rhetora Luciolum, condiscipulum atque magistrum
 2 collegamque dehinc, nenia maesta, refer,
 3 facundum doctumque virum, seu lege metrorum
 4 condita seu prosis solveret orsa modis.
 5 Eripuit patri Lachesis quem funere acerbo
 6 linquentem natos sexui utroque duos :
 7 nequaquam meritis cujus responderit heres
 8 obscurus, quamvis nunc tua fama juvet.
 9 Mitis amice, bonus frater, fidissime conjunx,
 10 nate pius, genitor : paenitet, ut fueris.
 11 Comis convivis, numquam inclamare clientes,

12 ad famulos numquam tristia verba loqui.
 13 Ut placidos mores, tranquillos sic cole manes
 14 et cape ab Ausonio munus, amice, vale.

ATTIUS PATERA RHETOR

C5 v.1 Aetate quamquam viceris dictos prius,
 2 Patera, fandi nobilis ;
 3 tamen, quod aevo floruisti proximo
 4 juvenisque te vidi senem,
 5 honore maestae non carebis neniae,
 6 doctor potentum rhetorum.
 7 Tu Baiocassi stirpe Druidarum satus,
 8 si fama non fallit fidem,
 9 Beleni a sacratum ducis e templo genus
 10 et inde vobis nomina :
 11 tibi Paterae ; sic ministros nuncupant
 12 Apollinares mystice.
 13 Fratri patrique nomen a Phoebō datum
 14 natoque de Delphis tuo.
 15 Doctrina nulli tanta in illo tempore
 16 cursusque tot fandi et rotae :
 17 memor, disertus, lucida facundia,
 18 canore, cultu praeditus,
 19 salibus modestus felle nullo perlitis,
 20 vini cibique abstemius,
 21 laetus, pudicus, pulcher, in senio quoque
 22 aquilae ut senectus aut equi.

ATTIUS TIRO DELPHIDIUS RHETOR

C6 v.1 Facunde, docte, lingua et ingenio celer,
 2 jocis amoene, Delphidi,
 3 subtextus esto flebili threno patris,
 4 laudi ut subibas aemulus.
 5 Tu paene ab ipsis orsus incunabulis
 6 dei poeta nobilis,
 7 sertum coronae praeferens Olympiae,
 8 puer celebrasti Jovem :
 9 mox inde cursim more torrentis freti
 10 epos ligasti metricum,
 11 ut nullus aequa lege liber carminum
 12 orationem texeret.
 13 Celebrata varie cujus eloquentia
 14 domi forisque claruit,
 15 seu tu cohortis praesulem praetoriae
 16 provinciarum aut iudices
 17 coleres, tuendis additus clientibus
 18 famae et salutis sauciis.
 19 Felix, quietis si maneres litteris
 20 opus Camenarum colens
 21 nec odia magnis concitata litibus
 22 armaret ultor impetus
 23 nec inquieto temporis tyrannici
 24 palatio te adtollereres.
 25 Dum spem remotam semper arcessis tibi,

26 fastidiosus obviae,
 27 tuumque mavis esse quam fati bonum,
 28 desiderasti plurima,
 29 vagus per omnes dignitatum formulas
 30 meritusque plura quam gerens.
 31 Unde insecuto criminum motu gravi
 32 donatus aerumnis patris,
 33 mox inde rhetor, nec docendi pertinax,
 34 curam fefellisti patrum,
 35 minus malorum munere expertus dei,
 36 medio quod aevi raptus es,
 37 errore quod non deviantis filiae
 38 poenaque laesus conjugis.

ALETHIO MINERVIO FILIO RHETORI

C7

v.1 O flos juvenum,
 2 spes laeta patris,
 3 nec certa tuae
 4 data res patriae,
 5 rhetor Alethi :
 6 Tu primaevus
 7 doctor in annis
 8 tempore, quo te
 9 discere adultum
 10 non turpe foret,
 11 praetextate,
 12 jam genitori
 13 conlatus eras
 14 postque Paterae
 15 et praeceptor.
 16 Ille superbae
 17 moenia Romae
 18 fama et meritis
 19 inclitus auxit :
 20 major utroque
 21 tu Burdigalae
 22 laetus patriae
 23 clara cohortis
 24 vexilla regens,
 25 cuncta habuisti
 26 commoda fati,
 27 non sine morsu
 28 gravis invidiae :
 29 omnia praecox
 30 fortuna tibi
 31 dedit et rapuit :
 32 et rhetoricam
 33 floris adulti
 34 fruge carentem,
 35 et conubium
 36 nobile soceris
 37 sine parce patris,
 38 et divitias
 39 utriusque sine

40 herede domus.
 41 Solstitialis
 42 raptusque simul,
 43 ostentatus
 44 raptusque simul,
 45 pubere in aevo
 46 deseruisti
 47 vota tuorum,
 48 non mansuris
 49 ornate bonis.
 50 Quam fatiloquo
 51 dicte profatu
 52 versus Horati :
 53 "Nihil est ab omni
 54 parte beatum".

LEONTIUS GRAMMATICUS COGNOMENTO LASCIVUS

C8 v.1 Qui colis laetos hilarosque mores,
 2 qui dies festos, joca, vota, ludum,
 3 annum functi memora Leonti
 4 nomine threnum.
 5 Iste, Lascivus patiens vocari,
 6 nomen indignum probitate vitae
 7 abnuit numquam, quia gratum ad aures
 8 esset amicas.
 9 Litteris tantum titulum adsecutus,
 10 quantus exili satis est cathedrae,
 11 posset insertus numero ut videri
 12 grammaticorum.
 13 Tu meae semper socius juventae,
 14 pluribus quamvis cumulatus annis,
 15 nunc quoque in nostris recales medullis,
 16 blande Leonti !
 17 Et juvat tristi celebrare cura
 18 flebilem cantum memoris querellae :
 19 munus ingratum tibi debitumque
 20 carmine nostro.

GRAMMATICIS GRAECIS BURDIGALENSIBUS

C9 v.1 Romulum post hos prius an Corinthi,
 2 anne Sperchei pariterque nati
 3 Atticas musas memorem Menesthei
 4 grammaticorum ?
 5 Sedulum cunctis studium docendi,
 6 fructus exilis tenuisque sermo :
 7 set quia nostro docuere in aevo
 8 commemorandi.
 9 Tertius horum mihi non magister,
 10 ceteri primis docuere in annis,
 11 ne forem vocum rudis aut loquendi
 12 set sine cultu :
 13 obstitit nostrae quia, credo, mentis
 14 tardior sensus neque disciplinis
 15 appulit Graecis puerilis aevi

16 noxius error.
 17 Vos levis caespes tegat et sepulcri
 18 tecta defendant cineres opertos
 19 ac meae vocis titulus supremum
 20 reddat honorem.

IUCUNDO GRAMMATICO BURDIGALENSI FRATRI LEONTI
 C10 v.1 Et te, quem cathedram temere usurpasse locuntur
 2 nomen grammatici nec meruisse putant,
 3 voce ciebo tamen, simplex, bone, amice, sodalis,
 4 jucunde, hoc ipso care magis studio :
 5 quod, quamvis impar, nomen tam nobile amasti,
 6 emeritos inter commemorande viros.

GRAMMATICIS LATINIS BURDIGALENSIBUS PHILOLOGIS, MACRINO, SUCURONI...

C11 v.1 Nunc ut quemque mihi
 2 flebilis officii
 3 relligiosus honor
 4 suggeret, expediam,
 5 qui, quamvis humili
 6 stirpe, loco ac merito,
 7 ingeniis hominum
 8 Burdigalae rudibus
 9 introtulere tamen
 10 grammatices studium.
 11 Sit Macrinus in his
 12 huic mea principio
 13 credita puerities ;
 14 et libertina
 15 Sucuro progenie,
 16 sobrius et puerorum
 17 utilis ingeniis.
 18 Et tu, Concordi,
 19 qui profugus patria
 20 mutasti sterilem
 21 urbe alia cathedram.
 22 Nec reticebo senem
 23 nomine Phoebicium,
 24 qui Beleni aedituus
 25 nil opis inde tulit ;
 26 set tamen, ut placitum,
 27 stirpe satus Druidum
 28 gentis Aremoricae,
 29 Burdigalae cathedram
 30 nati opera obtinuit :
 31 permaneat series.
 32 Relligiosum etenim
 33 commemorare meae
 34 grammaticum patriae
 35 Ammonium [LACUNE],
 36 qui rudibus pueris
 37 prima elementa dabat,
 38 doctrina exiguus,
 39 moribus inplacidis :

40 proinde, ut erat meritum,
 41 famam habuit tenuem.
 42 Pange et Anastasio
 43 flebile, Musa, melum
 44 et memora tenuem
 45 nenia, grammaticum.
 46 Burdigalae hunc genitum
 47 transtulit ambitio
 48 Pictonicaeque dedit.
 49 Pauper ibi et tenuem
 50 victum habitumque colens,
 51 gloriolam exilem
 52 et patriae et cathedrae
 53 perdidit in senio.
 54 Set tamen hunc noster
 55 commemoravit honos,
 56 ne pariter tumulus
 57 nomen et ossa tegat.

C12 v.1 HERCULANO, SORORIS FILIO, GRAMMATICO BURDIGALENSI
 2 Herculane, qui profectus gremio de nostro et schola
 3 spem magis quam rem fruendam praebuisti avunculo,
 4 particeps scholae et cathedrae paene successor meae,
 5 lubricae nisi te iuventae praecipitem flexus daret,
 6 Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam.
 7 Esto placidus et quietis manibus sedem fove,
 jam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

C13 v.1 THALASSIO GRAMMATICO LATINO BURDIGALENSI
 2 Officium nomenque tuum, primaeve Thalasse,
 3 parvulus audivi, vix etiam memini.
 4 Qua forma aut merito fueris, qua stirpe parentum,
 5 aetas nil de te posterior celebrat.
 6 Grammaticum juvenem tantum te fama ferebat,
 7 tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet.
 8 Set quicumque tamen, nostro quia doctor in aevo
 vixisti, hoc nostrum munus habeto, vale.

C14 v.1 CITARIO SICULO SYRACUSANO GRAMMATICO BURDIGALENSI GRAECO
 2 Et, Citari dilecte, mihi memorabere, dignus
 3 grammaticos inter qui celebrere bonos.
 4 Esset Aristarchi tibi gloria Zenodotique
 5 Graiorum, antiquus si sequeretur honos.
 6 Carminibus, quae prima tuis sunt condita in annis,
 7 concedit Cei musa Simonidei.
 8 Urbe satus Sicula nostram peregrinus adisti
 9 excultam studiis quam propere edideras.
 10 Conjugium nanctus cito nobilis et locupletis,
 11 invidia fati non genitor moreris.
 12 At nos defunctum memori celebramus honore,
 fovimus ut vivum munere amicitiae.

C15 v.1 CENSORIO ATTICO AGRICIO RHETORI
 Eloquii merito primis aequande, fuisti,

2 Agrici, positus posteriore loco :
 3 aevo qui quoniam genitus functusque recenti,
 4 dilatus nobis, non et omissus eras.
 5 Quocumque in numero, tristi memorabere threno :
 6 unus honos tumuli, serus et ante datus.
 7 Tam generis tibi celsus apex quam gloria fandi,
 8 gloria Athenaei cognita sede loci :
 9 Nazario et claro quondam delata Paterae
 10 egregie multos excoluit juvenes.
 11 Conjuge nunc natisque superstitibus generoque
 12 majorum manes et monumenta foves.

C16 v.1 NEPOTIANO GRAMMATICO EIDEM RHETORI
 2 Facete, comis, animo juvenali senex,
 3 cui felle nullo, melle multo mens madens
 4 aevum per omne nil amarum miscuit,
 5 medella nostri, Nepotiane, pectoris,
 6 tam seniorum quam jocorum particeps,
 7 taciturne, Amyclas qui silendo viceris :
 8 te fabulantem non Ulixes linqueret,
 9 liquit canentes qui melodas virgines :
 10 probe et pudice, parce, frugi, abstemie,
 11 facunde, nulli rhetorum cedens stilo,
 12 et disputator ad Cleanthen stoicum ;
 13 Scaurum Probumque corde callens intimo
 14 et Epirote Cineia memor magis ;
 15 sodalis et convictor, hospes jugiter,
 16 parum quod hospes, mentis agitator meae.
 17 Consilia nullus mente tam pura dedit
 18 vel altiore conditu texit data.
 19 Honore gesti praesidatus inclitus,
 20 decies novenas functus annorum vices,
 21 duos relinquens liberos, mortem oppetis,
 22 dolore multo tam tuorum quam meo.

C17 v.1 AEMILIUS MAGNUS ARBORIUS RHETOR TOLOSAE
 2 Inter cognatos jam fletus, avuncule, manes,
 3 inter rhetoricos nunc memorandus eris.
 4 Illud opus pietas, istud reverenda virorum
 5 nomina pro patriae relligione habeant.
 6 Bis meritum duplici celebremus honore parentem
 7 Arborem, Arborio patre et avo Argicio.
 8 Stemma tibi patris Haeduici, Tarbellica Maurae
 9 matris origo fuit : ambo genus procerum.
 10 Nobilis et dotata uxor, domus et schola, cultae
 11 principum amicitiae contigerunt juveni,
 12 dum Constantini fratres opulenta Tolosa
 13 exilii specie sepositos cohibet.
 14 Byzanti inde arcem Thressaeque Propontidis urbem
 15 Constantinopolim fama tui pepulit.
 16 Illic dives opum doctoque ibi Caesare honorus
 17 occumbis patribus, Magne, superstitibus.
 18 In patriam sed te sedem ac monumenta tuorum
 19 principis Augusti restituit pietas.

19 Hinc renovat causam lacrimis et flebile munus
20 annuus ingrata relligione dies.

EXUPERIUS RHETOR TOLOSAE

C18 v.1 Exuperi, memorande mihi, facunde sine arte,
2 incessu gravis et verbis ingentibus, ore
3 pulcher et ad summam motuque habituque venusto :
4 copia cui fandi longe pulcherrima, quam si
5 auditu tenuis acciperes, deflata placeret,
6 discussam scires solidi nihil edere sensus.
7 Palladiae primum toga te venerata Tolosae
8 mox pepulit levitate pari. Narbo inde recepit.
9 Illic Dalmatio genitos, fatalia regum
10 nomina, tum pueros, grandi mercede docendi
11 formasti rhetor metam prope puberis aevi,
12 Caesareum qui mox indepti nomen honorem
13 praesidis Hispanumque tibi tribuere tribunal.
14 Decedens placidos mores tranquillaque vitae
15 tempora praedives finisti sede Cadurca.
16 Set patriae te jura vocant et origo parentum.
17 Burdigalae ut rursum nomen de rhetore reddas.

MARCELLO MARCELLI FILIO GRAMMATICO NARBONENSI

C19 v.1 Nec te Marcello genitum, Marcelle, silebo,
2 aspera quem genetrix urbe, domo pepulit.
3 Set fortuna potens cito reddidit omnia et auxit.
4 Amissam primum Narbo dedit patriam.
5 Nobilis hic hospes Clarentius indole motus
6 egregiam natam conjugio adtribuit.
7 Mox schola et auditor multus praetextaque pubes
8 grammatici nomen divitiasque dedit.
9 Set numquam jugem cursum fortuna secundat,
10 praesertim pravi nancta virum ingenii.
11 Verum oneranda mihi non sunt, memoranda recepi
12 fata : sat est dictum cuncta perisse simul ;
13 non tamen et nomen, quo te non fraudo, receptum
14 inter grammaticos praetenuis meriti.

SEDATUS RHETOR TOLOSANUS

C20 v.1 Relligio est, tacitum si te, Sedate, relinquam,
2 quamvis docendi munus indepte es foris.
3 Communis patria est tecum mihi : sorte potentis
4 fati Tolosam nactus es sedem scholae.
5 Illic conjugium natique opulensque senectus
6 et fama, magno qualis est par rhetori.
7 Quamvis externa tamen a regione reducit
8 te patria et civem morte obita repetit,
9 cumque vagantem operam divisae inpenderis urbi,
10 arbitrium de te sumit origo suum.
11 Et tua nunc suboles morem sectata parentis
12 Narbonem ac Romam nobilitat studiis <suis>.
13 Sed quid conquerimur ? Longum post tempus et illos
14 fama, velit nolit, Burdigalam <tandem> referet.

STAPHYLIUS RHETOR CIVIS AUSCIUS

C21 v.1 Hactenus observata mihi lex commemorandi
 2 cives, sive domi seu docuere foris.
 3 Externum sed fas conjungere civibus unum,
 4 te, Staphyli, genitum stirpe Novem populis.
 5 Tu mihi, quod genitor, quod avunculus, unus utrumque,
 6 alter ut Ausonius, alter ut Arborius.
 7 Grammaticae ad Scaurum atque Probum, promptissime rhetor,
 8 historiam callens Livii et Herodoti.
 9 Omnis doctrinae ratio tibi cognita, quantam
 10 condit sescentis Varro voluminibus.
 11 Aurea mens, vox suada tibi, tum sermo quietus ;
 12 nec cunctator erat, nec properator erat.
 13 Pulchra senecta, nitens habitus, procul ira dolusque :
 14 et placidae vitae congrua meta fuit.

CRISPUS ET URBICUS GRAMMATICI LATINI ET GRAECI

C22 v.1 Tu quoque in aevum, Crispe, futurum
 2 maestis venies commemoratus
 3 munere threni.
 4 Qui primaevos fandi que rudes
 5 elementorum prima docebas
 6 signa novorum,
 7 creditus olim fervere mero,
 8 ut Vergilii Flaccique jocos
 9 aemula ferres.
 10 Et tibi Latiis posthabite orsis,
 11 Urbice, Graecis celebris, carmen
 12 sic Eleleiso.
 13 Nam tu Crispo conjuncte tuo
 14 prorsa solebas et vorsa loqui
 15 impete eodem,
 16 priscos ut tris heroas olim
 17 carmine Homeri commemoratos
 18 fando referres ;
 19 dulcem in paucis ut Plistheniden
 20 et torrentis ceu Dulichii
 21 ninguida dicta,
 22 et mellitae nectare vocis
 23 dulcia fatu verba canentem
 24 Nestora regem.
 25 Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
 26 callentes mython plasmata et historiam,
 27 liberti ambo genus, sed quos meruisse deceret
 28 nancisci ut cluerent patribus ingenuis.

VICTORIO SUBDOCTORI SIVE PROSCHOLO

C23 v.1 Victori studiose, memor, celer, ignoratis
 2 adsidue in libris nec nisi aperta legens,
 3 exesas tineis opicasque evolvere chartas
 4 major quam promptis cura tibi in studiis.
 5 Quod jus pontificum, quae foedera, stemma quod olim
 6 ante Numam fuerat sacrifici Curibus ;
 7 quod Castor cunctis de regibus ambiguus, quod

8 conjugis e libris ediderat Rhodope.
 9 Quod jus pontificum, veterum quae scita Quiritum,
 10 quae consulta patrum, quid Draco quidve Solon
 11 sanxerit et Locris dederit quae jura Zaleucus,
 12 sub Jove quae Minos, quae Themis ante Jovem,
 13 nota tibi potius quam Tullius et Maro nostri
 14 et quidquid Latia conditur historia.
 15 Fors istos etiam tibi lectio longa dedisset,
 16 supremum Lachesis ni celerasset iter.
 17 Exili nostrae fucatus honore cathedrae
 18 libato tenui nomine grammatici ;
 19 longinquis posthac Romae defunctus in oris,
 20 ad quas de Siculo litore transieras.
 21 Sed modo nobilium memoratus in agmine gaude,
 22 pervenit ad manes si pia cura tuos.

DYNAMIO BURDIGALENSI QUI IN HISPANIA DOCUIT ET OBIIT

C24 v.1 Set neque te maesta, Dynami, fraudabo querella,
 2 municipem patriae causidicumque meae,
 3 crimine adulterii quem saucia fama fugavit,
 4 parvula quem latebris fovit Ilerda suis,
 5 quem locupletavit conjunx Hispana latentem :
 6 namque ibi mutato nomine rhetor eras,
 7 rhetor Flavini cognomine dissimulatus,
 8 ne posset profugum prodere culpa suum.
 9 Reddiderat quamvis patriae te sera voluntas,
 10 mox residem rursus traxit Ilerda domus.
 11 Qualiscumque tuae fuerit fuga famaue vitae,
 12 jungeris antiqua tu mihi amicitia,
 13 officiumque meum, sensus si manibus ullus,
 14 accipe jam verus morte obita, Dynami.
 15 Diversis quamvis jaceas defunctus in oris,
 16 commemorat maestis te pia cura elegis.

ACILIO GLABRIONI GRAMMATICO IUN. BURDIGALENSI

C25 v.1 Doctrinae vitaeque pari brevitae caducum,
 2 Glabrio, te maestis commemorabo elegis,
 3 stemmate nobilium deductum nomen avorum,
 4 Glabrio Acilini, Dardana progenies.
 5 Tu quondam puero conpar mihi, discipulus mox,
 6 meque dehinc facto rhetore grammaticus,
 7 inque foro tutela reis et cultor in agris,
 8 digne, diu partis qui fruerere bonis ;
 9 commode, laete, benigne, abstemie, tam bone dandis
 10 semper consiliis, quam taciturne datis,
 11 tam decus omne tuis quam mox dolor, omnia acerbo
 12 funere praereptus, Glabrio, destituis :
 13 uxore et natis, genitore et matre relictis,
 14 eheu quam multis perditae nominibus !
 15 Flete diu nobis, numquam satis, accipe acerbum,
 16 Glabrio, in aeternum commemorate, vale.

CORONIS

C26 v.1 Quos legis a prima deductos menide libri,
 2 doctores patriae scito fuisse meae,
 3 grammatici in studio vel rhetoris aut in utroque,
 4 quos memorasse mihi morte obita satis est.
 5 Viventum inlecebra est laudatio : nomina tantum
 6 voce ciere suis sufficiet tumulis.
 7 Ergo, qui nostrae legis otia tristia chartae,
 8 eloquium ne tu quaere, set officium,
 9 quo claris doctisque viris pia cura parentat,
 10 dum decora egregiae commeminit patriae.

POETA

C27 v.1 Valete, manes inclitorum rhetorum ;
 2 valete, doctores probi,
 3 historia si quos vel poeticus stilus
 4 forumve fecit nobiles,
 5 medicae vel artis dogma vel Platonium
 6 dedit perenni gloriae.
 7 Et si qua functis cura viventum placet
 8 juvatque honor superstitum ;
 9 accipite maestum carminis cultum mei
 10 textum querella flebili.
 11 Sedem sepulcri servet immotus cinis,
 12 memoria vivat nominum,
 13 dum remeat illud, iudicis dono dei,
 14 commune cunctis saeculum.